BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVI 3062

164v°

CARMEN FUNEBRE PETRI ROYZII MAUREI, Hispani Iurisconsulti, in obitu Illustris Petri Gamrati primæ Sarmaticæ sedis Episcopi.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit,



Tunc suus ex merito quēque tuetur honos.

Ad magni Petri Gamrati manes.

Ne tuus æthereo raptum te inferret Olympo
Ales, & auferret te, Petre magne, tuis.
Illius addiderant pedibus tria saxa Poloni:
Fortior at uicit, te & super astra tulit.

14.420

Æditum ante funus. M. D. XLV. Mense Septembri. Excussum Cracouiæ apud uiduam Floriani Vuglerij.

INSTYTUT OSSOLIŃSKICH

QVos ego Sarmatiæ luctus, quæ funera dicam
Digna ſat, orbatis magno paſtore Polonis?
Gamrato paſtore, ſuis qui cuncta regebat,
Conſilijs, pietate ingens, & fortibus auſis.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Pauperibus patuit ſemper domus, illius aurũ,
Fortunas & opes, ueſtras didiciſtis egeni,
Omnia uos inter, potuit quæcunqꝫ, profudit
Largior, á qꝫ fame, inclementi & frigore texit.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge,
Egregia haud paſſus, ſi qua eluceſcere uidit
Ingenia, & uulgo maius promittere, triſti
Paupertate premi, latias præmiſit ad oras,
Magnus ubi Antenor, claſſis ſecurus achiuæ,
Occubat, aut paruo Boijs ubi moenia Reno
Neptunus ſecat, & mediam uagus alluit urbẽ.
Diuitijs nũqꝫ, bonus, impenſæue pepercit.
Talibus auxilijs, & defenſoribus iſtis.
Eſſe opus, in tanto fidei diſcrimine, uidit.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Iuſticiæ aſſertor, iuſtiſqꝫ in litibus acer,
Pauperibus ſemper fuit, & locupletibus idem.
Nil gen⁹ hũc, iuſti aut numm⁹ uiolator & æqui,
Non importunę lachrymæ mouere, preceſue,
Humanas ſeu quæ turbant odia aſpera mentes:
Reddi cuiqꝫ ſuum uoluit, non lædere quencꝫ,
Vox eius, lex uiua fuit, litiſqꝫ proteruæ

XVI.Qu.3062

Finis, ſupremo tanq̃ uox edita cœlo.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Eius plena uiris magnis domus, omnis ab illa
Sarmatia, & uicina colens, reſponſa petebat,
Seu quem ſacra dei dubium, rituſue tenerent,
Nec bene nota, patens cœlo uia, ſiue moleſtæ
Inuitum lites fora ad importuna trahebant,
Aſtrorum conſultores procul inde prophani,
Et qui conſultis mendacibus abſtinet aſtris,
Digna pijs ſtudia, & relligione colebat.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Omnia pro Chriſto, fuerint quęcunq;, pericla,
Forti adiens animo, nihil imperterritus unus
Formidauit, erat ſi formidabile quicq̃,
Ante oculos Chriſtus ſemper, largeq; profuſi
Pro nobis ſanguis, & mors infamis in alno.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge,
Totus in hoc, Chriſto ut fidens, patriq; placer
Autori rerum ſummo, labor illius unus,
Vt iuſta populos in relligione teneret.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Abſtulit hũc inopina malo mors inuida morb
Nil medicæ ualuere manus, nihil acre Sabini
Ingenium, toties qui morte reduxit ab ægra,
Tot colluctantem morbis, iam iamq; cadẽtem.
Heu, cum fata uocant, fruſtra medicina laborat.
Amiſſo infelix Gamrato: Sarmata, luge.
Vos Reges, quorum populos pietate uerenda
Erudijt, ſanctis præfulgens moribus, atq;

Exemplo uitæ inſigni (ſupra omnia ſemper
Humana erectus) cœlum monſtrauit & aſtra,
Lugete extinctum, tua, Rex Siſmunde, ſenecta
Sentiat amiſſa extremæ ſolatia uitæ.
Tempus erit quondam, tibi cum lugebis adeptū
Rex Auguſte, nimis ſurgentibus utilis annis
Ille fuit, qui conſilijs pulcherrimus autor,
Rexiſſet tecum populos, & Regia ſcæptra.
    Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Extremum Regina tuo præſtabis honorem
Gamrato, Bona Sforciadum genus, unus amar
Dignus erat, lachrymis, ſup̄mo & dignꝰ honore,
Vnā te ante omnes coluit, teq; omnibus unam
Prætulit, extremo & dignū ſe hoc munere fecit.
    Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Gamratum amiſſum proceres lugete Poloni,
Ornamentum ingens patriæ amiſiſtis, acerba
Ablatum morte, & nimium properātibus annis.
Lugete extinctum, modo qui feliciter unus
Conſilijs patriam uobiſcum, & grandibus auſis
Tutatus: dubijs peperit ſolatia rebus.
Sæpeq; uos inter, ſi qua eſt diſcordia nata,
Omnia compoſuit medius, litemq; diremit.
    Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Et tu, Gnezna, tuas cum durus nuncius aures
Vulnerat, infelix luctum lachrymasq; tenebis?
Rectorem amiſiſſe tuum, uitęq; magiſtrum?
Abſentem infelix animis & mente requires,
Quem nuper magna lætum tua mœnia pompa

Intrantem uidiſti,inter lituoſq; tubaſq;
Exultantem animis,& nil tunc tale timentem,
Extinctum accipies,& iam ſine nomine corpus.
    Amiſſo infelix Gamrato,Sarmata,luge.
Tu quoq; ,quę uix dũ,lachrymis exhauſta,quieras
Cracouia, Heliſabet poſt flebile funus amatæ,
Ire iterũ in lachrymas,& tũdere pectora palmis,
Cogeris,extincto & longum lugere magiſtro.
    Amiſſo infelix Gamrato,Sarmata,luge.
Et te,Roma,caput populorum,atq; orbis aſylũ
Iſte dolor tangit,tuus hunc ſacer ille ſenatus,
Nõ raptũ añ diẽ,magno olim optauerit emptũ,
Cum creſcente malo,malefidi labe Luthæri,
Sarmatiæ heu nimium metuet,chariſq; Polonis,
Ne mala uicinæ gentis contagia lædant,
Hic etenim magnis contra conatibus iuit
Semper,& ultrices oſtendit ciuibus ignes,
Reppulit inſanos,& longe ſtare coegit
Saxonas,& quicquid ſceleris:fideiq; profanę eſt,
Lædere ne incautum poſſent contagia uulgus,
Illius hoc ſtudium,labor hic, opus illius unum,
Tantus amor fidei fuerat,quæ debita cœlo,
Curaq; comiſſi quondam gregis,illius ergô,
Haud unquam timuit,duros perferre labores,
Et ſi fata ferant,crudeli occũbere morti:
Experiere olim,quantum hoc, tu eccleſia, perdis
Amiſſo,& tu adoles aris qui tura ſacerdos,
    Amiſſo infelix Gamrato,Sarmata, luge.
Nec quos arma iuuãt,torqueſq; illuſtrat & aurũ

Inſignes equites, uobis infletus obibit
Optimus Antiſtes, cuius per ſæpe leuati
Auxilio, patrios læti rediſtis ad agros:
Compoſuit ueſtras lites, & iurgia dexter,
Si qua malus limes, diſiectáue ſigna tulere.
Veſtrũ erat hoſpicium domus illius, illius aurũ
Veſtrum erat, & quicqd potuit bonus, heimihi
Preſidiũ patria; & uos amiſiſtis amici. (quantũ
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Et tu dilecta ante omnes Maſouia, luctus
Quos dabis infelix, Gamrato orbata patrono?
Vna fuit cui cura, tuos extollere, & alta
In ſolia euehere, ac magnis præponere rebus,
Mille Palatinũ ad ſummos euexit honores
Felix, & magni partem dedit eſſe ſenatus.
Præfecit templis alios, quos numine tactos
Sacra iuuant, bifidamq; dedit geſtare tiaram:
Regia quicqd habet domus, aut eccleſia magnũ,
Illud ſperauere tui, lætiq; tulere.
Heu nimium dilecta uiro, Maſouia quantum
Perdis patronum, heu quantum, Maſouia patrẽ,
Regina hunc ſed tu caſum miſerata leuabis,
Sforciadum genus, atq; tuam tutabere gentem,
Sentiat amiſſum ne, quem nunc luget adẽptũ.
Amiſſo infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Voſq; orbata domus, ſublato moeſta magiſtro;
In uarias abitura domos, extollite luctum,
Amiſſum deflete patrem miſerabile funus
Cernitis ante oculos, extinctaq; gaudia uitæ:

Cõmodaq;, & lætos, si quos sperastis, honores;
Amisso infelix Gamrato, Sarmata, luge.
Et casum indignum ingenti lachrymare dolore.

EPITHAPHIVM
eodem autore

Certarunt Roma & cœlũ, utri debitus esset
Gamratus, cœlum uicit, & eripuit.

ALIVD.

Occidit ut Petrus Gamratus, & astra petiuit,
Obuia fit Iuno, dum putat esse Iouem,
Maiestate uiri decæpta, & corpore tanto,
Hunc, qui non fuerat, credidit esse Iouem,
Deĩde pedũ ut uidet, & stringẽtẽ tẽpora mitrã
Cedo, inquit, maius hic Ioue numen habet.

DE GAMRATO, ex carbunculo in tergo, mortuo.

Aliud.

Promisit plures olim tibi Iuppiter annos,
Quod, Gārate, frequens dixerat astrologus.
Cur ergo ante diem lœto rapit, inquis, acerbo?
Te sine non potuit Iuppiter esse diu.

Aliud.

Principium generis fuerat Gamratus, & idem
Finis, iure igitur Alpha uocetur & ω.

Aliud.

Mortalis ne esses morbo mors tentat ut acri,
Abstulit, ablatum, postea pœnituit.

Ad Masouiam.

Gamratum tibi non sentis Masouia raptum?
Sentio ais, ploro: non satis est, morere.

FINIS.

INSTYTUT ... OSSOLINSKICH

6489

6489
1